ACTA

ET

DECRETA

PRIMI CONCILII

PROVINCIÆ

SANCTI BONIFACII.

1889.

DECRETA

Primi Concilii Provinciæ Sti. Bonifacii

A SANCTA SEDE REVISA ET RECOGNITA.

I.—DECRETUM DE APERIENDA SYNODO.

"In nomine Sacrosanctæ et Individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti."

Nos Alexander Taché Dei et apostolicæ Sedis gratia, Ecclesiæ Metropolitanæ Sancti Bonifacii Archiepiscopus, ad laudem et gloriam Dei Omnipotentis et Salvatoris Nostri Jesu Christi ; in honorem Beatissimæ et Immaculatæ Virginis Dei Genetricis Mariæ, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Sanctorum quorum patrocinio nostræ Ecclesiæ Cathedrales et diœceses muniuntur ; ad ædificationem Ecclesiæ Dei, ad zelum animarum augendum in clero atque ad pietatem fovendam tam in clero quam in populo, statuimus et decernimus de concilio et consensu Reverendissimorum Episcoporum nostrorum comprovincialium, hac ipsa die quæ est decima sexta mensis Julii anni millesimi octingentesimi octogesimi noni, Deo adjuvante, inchoari atque adeo inchoatum esse concilium primum Provinciale quod ad hanc diem et locum convocavimus et indiximus : Jesum Christum Dominum et Salvatorem nostrum humiliter deprecantes ut quidquid a nobis in hoc concilio cœptum absolutumque fuerit ad ipsius honorem, ad Ecclesiæ bonum et ad animarum salutem recte fiat et maxime proficiat.

II.—DECRETUM DE MODO VIVENDI IN CONCILIO.

Hæc Synodus provincialis in Spiritu Sancto légitime congregata, agnoscens cum beato Jacobo apostolo quod "omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum" qui iis qui postulant a se sapientiam dat omnibus affluenter et simul sciens quod "initium sapientiæ est timor Domini" statuit et decrevit omnes et singulos Christi fideles hujusce civitatis Sancti Bonifacii quorum sicut et totius Provinciæ gratia celebratur exhortandos esse prout exhortatur ut confiteantur peccata sua et sese emendent, frequentius Eucharistiæ Sacramentum sumant, in timore Domini ambulent et instanter orent pro episcopis et sacerdotibus hic legitime congregatis; Episcopos vero et sacerdotes ut assidui in Dei laudibus incumbant atque in singulis diebus in quantum fieri poterit Sanctissimum missæ Sacrificium peragant aut saltem Mysteriorum celebrationi devote intersint, facientes sicut Spiritus Sanctus per Apostolum præcepit obsecrationes, orationes, postulationes pro Sanctissimo Domino nostro Leone Papa XIII, pro regina nostra Victoria, pro gubernatoribus et cæteris qui in sublimitate constituti sunt et pro omnibus fidelibus; ut quietam et tranquillam vitam agamus, pace fruamur et fidei incrementum videamus.

Præterea hortatur illos ut jejunent feria sexta in memoriam passionis Domini, omnibusque diebus, mensa frugali utantur.

Et quoniam oportet episcopos irreprehensibiles esse, hortatur etiam, illos et obsecratur in Domino ut vitæ innocentia et integritate, fide, religione et pietate omniumque virtutum ornamento præfulgeant et in omnibus honestatem præ se ferant sicut decet ministros mysteriorum Dei.

Cum autem Synodi Provincialis scopus sit ut sacra conciliorum, Summorum Pontificum decreta renoventur et custodiantur, illos monet summopere ipsis curandum esse ut ea accurate referantur adjectis quibusdam, si opus sit, explicationibus, ita tamen ut non recedatur

unquam a mente Sanctæ Ecclesiæ Romanæ cœterarum Ecclesiarum matris et magistræ.

In sententiis vero dicendis, nullus debeat aut immodicis vocibus perstrepere, aut tumultibus perturbare, nullis vanis aut obstinatis disceptationibus contendere; sed omnes ad gloriam Dei et animarum salutem, unice conspirantes cum modestia, prout Spiritus Sanctus dabit eloqui, opportune, servato ordine, proferant opiniones; et quidquid dicatur sic mitissima verborum prolatione temperetur, ut nec audientes offendantur, nec recti judicii acies perturbato animo inflectatur.

Omnes insuper hortatur ut residentiam et diurnum vivendi ordinem, in prima congregatione generali promulgatum et statutum, fideliter exsequatur.

III.—DECRETUM DE PROFESSIONE FIDEI.

Cum inter omnes pastoralis officii sollicitudines illa potissimum esse debeat, ut Fides Catholica quam Sancta Romana Ecclesia tenet et quæ solidissimo Petræ fundamento nititur, incorrupta in hac provincia vigeat et augescat hæc Synodus Patrum exemplis adhærens et S. Concilii Tridentini ordinationem pie venerans ante omnia statuit ac decernit præmittendam esse ejusdem sanctæ et catholicæ fidei professionem juxta formam a Pio Papa IV concinatam, una cum clausula de Romani Pontificis primatu deque ejus infallibili magisterio addenda, juxta Pii Papæ IX præscriptum.

PROFESSIO FIDEI.

Ego (Alexander Taché) firma fide credo et confiteor omnia et singula quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum consubstantialem Patri ; per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem ; qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur qui locutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones reliquasque

ejusdem Ecclesiæ observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novæ legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre : et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et adprobatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula quæ de peccato originali et de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini Nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari.

Similiter et sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmiter assero imagines Christi ac Deiparæ semper virginis necnon aliorum sanctorum habendas et retinendas esse ; atque eis debitum honorem et venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romano Pontifici, beati Petri apostolorum principis successori ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro.

Cætera item omnia a sacris canonibus et œcumenicis Conciliis ac præcipue a Sacrosancta Tridentini Synodo, et ab œcumenico Concilio Vaticano tradita, definita et declarata, præsertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio ac profiteor; simulque contra omnia atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamque integram et immaculatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et prædicari, quantum in me erit curaturum.

IV.—DECRETUM DE FIDE.

Credendum est et firmiter credimus fidem fundamentum esse et radicem justificationis.

Omnia quæ ut credenda ab Ecclesia proponuntur credimus. Credimus et credendum declaramus totam Revelationem contineri in Sacris Scripturis et absque Scripto in Sacris Traditionibus quæ Christi ore vel Spiritu Sancto afflante atque ab eis Ecclesiæ traditæ usque ad nos pervenerunt.

Credimus et profitemur et docemus Romanum Pontificem agnoscendum esse tanquam verum Jesu Christi in terris Vicarium, totius Ecclesiæ visibile Caput et omnium Christianorum Patrem et Doctorem primatum tum honoris tum jurisdictionis in universam ecclesiam tenentem.

Credimus et docemus Romanum Pontificem cum ex Cathedra loquitur, idest, cum omnium Christianorum Patris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate, doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibitate pollere quo divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese non autem ex consensu Ecclesiæ irreformabiles esse.

Reprobamus errorem apud nos diffusum qui audacter asserit homines in cujusvis religionis cultu viam æternæ salutis reperire, æternamque salutem assequi posse; una enim est vera Religio, et una vera Christi Ecclesia extra quam non datur salus.

Reprobamus quoque omnes errores a Romanis Pontificibus damnatos sive in Conciliis Generalibus sive in Encyclicis Litteris.

Quoniam vero satis non est hæreticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt, omnes officii monemus servandi etiam Constitutiones et decreta, quibus pravæ ejusmodi opiniones, quæ isthic diserte non enumerantur, ab hac S. Sede proscriptæ et prohibitæ sunt.

V.—DECRETUM DE INDEPENDENTIA SUMMI PONTIFICIS.

Cum Ecclesiastica potestas sit jure divino valde superior et independens a potestate civili et ejusmodi independentia in Summo præsertim Ecclesiæ Capite vigeat opus sit, hinc in præsenti rerum statu declarat hæc Synodus sacrilegam status pontificalis usurpationem non solum jure divino et humano, sed etiam Ecclesiæ et Summi Pontificis pernecessariæ libertati adversari.

VI.—DECRETUM DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

1o. Quoniam juxta Concilium Tridentinum, sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant, leves etiam culpas quæ ipsis minimæ viderentur effugiant, ut eorum actiones cunctis offerant venerationem. In provincia vestem talarem nigri coloris habitum clericalem declaramus, exceptis casibus in quibus ordinarius loci aliam vestem ejusdem coloris quæ tamen clericis sit conveniens induendam judicaverit.

2o. Regulis de venatione ab Ecclesia positis, omnes se submittere et obedire debent.

3o Fumeo tabaco cum moderamine et decentia utantur.

4o. Cum sit lux mundi et vir cujus labia scientiam custodire debent, sacerdos studio Scripturæ Sacræ, theologiæ, cœterarumque scientiarum maximam det operam. Hoc est magni momenti et valde commendatum a concilio provinciali. Ubicumque collationes theologicæ pro omnibus et examina pro junioribus statuuntur, accurate et non imperati præscripto adimpleant.

5o. Cunctis clericis maxime convenit testamentum facere juxta legem ecclesiasticam et civilem. Ad hoc autem ex conscientia tenentur parochi et curam animarum habentes, qui fidelibus suadeant ut idem faciant, specialibus casibus exceptis in quibus sententia et directio ordinarii requiritur, officium testamenti pro laicis conficiendi recusent, non autem pro fratribus in sacerdotio.

6o. Pecuniam ad pios usus per profana media vulgo dicta *Bazars*, *pique-niques*, *concerts*, *promenades* et cœtera hujusmodi comparare non licet nisi prius licentia de scripto petita et obtenta ab ordinario et approbato schemate de modo agendi. Quæ quidam in Ecclesia jam benedicta aut consecrata haberi vetantur. Idem dicendum de concionibus seu lectionibus et conventibus profanis.

Ne fatigentur fidelis et ipsi sacerdotes cupidi videan-

tur nimia cum instantia et aviditate hæc pecunia non exquiratur.

7o. Ne discordiis inter ipsos sacerdotes, quæ sine scandalo esse non possunt, locum dent electiones politicæ aut administrativæ, sine prævia episcopi directione in istis non agant.

A candidatis munera et præmia non accipiantur et absque jussu aut licentia ordinarii partes unius vel alterius publice et aperte non teneantur.

A concionibus mere politicis in Ecclesia se abstineant, et cum hac de re publice et coram populo tractare necesse est jura caritatis et æquitatis stricte serventur. Nisi præhabita ordinarii directione conventibus politicis et publicis se abstineant.

8o. " Attendentes sibi et universo gregi vigilent, in omnibus laborent et ministerium suum impleant. Ipsorum est oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione ac bonorum operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere." Hæc autem gravia munera præsentiam et residentiam parochi in grege suo imperant. Diebus autem festivis et dominicis, nisi gravi de causa ex caritate, necessitate, obedientia vel bono publico deprompta, a propriis parochiis sacerdotes curam animarum habentes non absint.

Idem dicendum de diebus in quibus fideles ad confessionem faciendam conveniunt.

Extra dies festi et dominicæ, visitatio ad viciniores sacerdotes per hebdomadam approbatur propter caritatem fovendam et solamen mentis.

VII.—DECRETUM DE CULTU DIVINO.

1o. Ut in nos effundantur thesauri in Sacratissimo Cordi Jesu absconditi, totius Provinciæ, jam Sanctissimo Cordi Mariæ dicatæ, solemnis consecratio etiam Sanctissimo Cordi Jesu habebitur.

2o. Rubricæ Missalis, Breviarii et Ritualis studiose ediscantur et exacte serventur.

3o. Exoptat Synodus ut in Ecclesiæ ceremoniis uniformitas a cunctis servetur, quod facile attingent si unum tantum auctorem v. g. Martinucci, in usum habeant.

4o. Cum Sanctissimum Sacramentum sit fons pietatis et amoris divini incendium, maxime fovenda est devotio erga Ipsum, ideoque in quantum fieri protest exercitium quadragenarum horarum et adorationis perpetuæ, juxta modum Ecclesiæ Metropolitanæ, introducatur.

Cultu peculiari honorentur Sacratissimum Cor Jesu et passio D. N. J. C.

Opus pium Apostolatus orationis commendatur.

Sancti Bonifacii Provincia Ecclesiastica jam speciali protectioni B. V. M. se commisit, et inter fideles devotio erga illam optimam Matrem acriter diffundatur per Rosarii seu Coronæ frequentem recitationem et per exercitia mense Maii habenda.

Ne nimia abundantia et diversitate peculiares devotiones fidelibus onera fiant et impedimentum veræ pietatis cavendum est ne præter Confraternitates Sumi Cordis Mariæ, Scapularis montis Carmeli et Rosarii jam apud nos existentes, absque consensu ordinarii novæ statuantur et inconsulto multiplicentur.

VIII.—DECRETUM DE ZELO ANIMARUM.

1o. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei, quod quidem verbum a Domino Nostro Jesu Christo Apostolis et pastoribus commissum fuit his verbis; "euntes docete omnes gentes." Hinc patet quod inter munera et officia sacerdotum, primum locum tenet prædicatio verbi divini ; quæ si deficiat, parvuli petent panem et non erit qui frangat eis.

2o. Ad istud munus frequenter adimplendum adhortatur sancta Tridentina Synodus eos qui curam habent animarum his verbis : Prædicabunt saltem omnibus dominicis et solemnibus diebus festivis : tempore autem jejuniorum quadragesimæ et Adventus Domini, quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint.

3o. Istis in prædicationibus, sanctum Jesu Christi Evangelium; quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; vitia quæ declinare et virtutes quas sectari oporteat, sacramentorum vim et usum pro suscipientium captu explicent.

4o. Ad recte verbum Dei tractandum, in audientibus majoris muneri necessitatem pensent, et firmitatem doctrinæ, nobilem simplicitatem formæ, eloquiique claritatem, magisquam concinnos orationis modos aut sublimitatem dicendi prosequantur.

Tanquam potestatem habentes loquantur neminem adulantes, neminem verborum aculeis lædentes.

5o. Ad erudiendas et convertendas animas non sufficiunt ordinariæ prædicationes, sed utendum privatis colloquis, christianis et piis lectionibus et ubi opus est catholicis ephemeribus, quæ, ut catholicæ habeantur, debent doctrinam etiam Ecclesiæ exponere et tueri, Ecclesiæ certamina et progressus domi et foris narrare et ordinarii approbatione gaudere.

Extra annuam parochiæ visitationem invisentur aliquoties parochiani tam prope quam longe degentes, et in hos prudenter et caute se habeant, nemini dantes causam offensionis et invidiæ.

Coloni et advenæ benigne excipiantur, in eligendis

fundis propriis adjuventur, et consilia eis dentur, ita ut catholici in eadem regione commorentur et circumscriptiones tam scolares quam parochiales efformentur. Cum catholicis, bonis exemplis, orationibus et lenitate morum agant et inutiles acerbasque controversias effugiant.

IX.—DECRETUM DE SACRAMENTIS.

1o. " Inter Novæ Legis Sacramenta primum maxime-
" que necessarium et utile est Baptismus, in quo sordes
" peccatorum tam Originalis quam actualium deponun-
" tur et per quem Fidei signaculum recipimus ; Militiæ-
" que Christianæ adscribimur, nec ulli qui eo privatus
" est et in re aut in voto, ad regnum cœlorum patet
" aditus." Conc. Narb. CXIV.

Hinc quamprimum baptizandi sunt nati infantes ne gratia longius priventur et periculum salutis incurrant.

" Ne quis de cœtero in aulis vel cameris aut aliis privatis domibus, sed dumtaxat in ecclesiis audeat baptizare." Excipitur, si satis necessitas, v. g. difficultas viarum, distantia ab Ecclesia, intemperies cœli, debilitas corporis emerserit, propter quam nequeat infans sine periculo ad ecclesiam deferri.

Si quando iterandus videtur baptismus id non fiat absque prævia et matura investigatione de persona quæ baptizavit et de modo quo Baptismus fuerit collatus In dubio vero, prudenti, iteretur Baptismus sub conditione.

Acatholicorum infantes etiam ab ipsis allati non baptizentur, nisi spes fundata vere probabilis effulgeat quod in catholica religione educandi erunt, aut prævideatur quod ante ætatem discretionis assecutum morientur. Et in baptizatis specialiter invigilent parochi aut missionari : de gremio enim Ecclesiæ et de eorum grege facti sunt.

Quia mandavit Deus unicuique de proximo suo, in necessitate aut in periculo mortis fideles non solum possunt sed etiam debent baptizare. De modo hoc officium adimplendi erudiantur et formentur, et in residentiis longe ab ecclesia et sacerdote distantibus eligantur prudentes et idonei christiani, qui hoc munere in casu necessitatis baptizandi fugantur, et a quibus de baptismo collato ratio requiratur.

Quum in Provincia Nostra multi adhuc in infidelitatis tenebris sedeant, omnem operam dent sacerdotes et missionarii ut quamprimum ad viam lucis et ad gratiam baptismi reducantur.

2o. De Confirmatione. Quum omnes fideles debeant Sacramentum Confirmationis suscipere, diligenter providebunt parochi et missionarii ut hi ad illud suscipiendum sint sufficienter edocti et parati.

3o. De Eucharistia. Quum dilexisset suos Dominus Noster Jesus Christus, in finem dilexit eos, hujus infinitæ et ignitæ dilectionis pignus et testimonium nobis dedit non relinquens nos orphanos. Memoriam fecit mirabilium suorum commemorans nobiscum usque ad consummationem sæculi in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, in quo vere, realiter et substantialiter continetur Corpus et Sanguis Ipsius una cum anima et Divinitate, ac proinde totus Christus.

Quem quidem tanquam spiritualem animarum cibum quo alimur, confortamur et ipsius vita vivimus, sumere debemus. Dixit enim : " nisi manducaveritis carnem " filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis " vitam in vobis, qui manducat me et ipse vivet propter " me." Cum autem dicat Sanctus Paulus : " probet au- " tem seipsum homo et sic de pane illo edat " non nisi probati et instructi et vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant fideles. Sacramentum hoc conferri potest pueris et puellis cum incipient aliqualem rationis usum habere ut possint devotionem concipere erga hoc Sacramentum, ordinarie tamen non conferatur puellis ante 10um ætatis annum et pueris ante 11um. Ad frequentem communionem actionemque gratiæ faciendam post hujus receptionem hortentur fideles.

Sacerdotes decorem Domus Dei diligant, et speciatim altare, tabernaculum, vasa sacra, ornamenta et omnia quæ ad Sacramentum attinent. Reservata hostia consecratæ regulariter commutentur. Lampas ex oleo olivarum nutrita, aut saltem ex aliis oleis quantum fieri potest vegetalibus accensa teneatur.

4o. De Matrimonio. Pastores de sanctitate et indissolubilitate Matrimonii fideles sæpe moneant. Matrimonia, quantum fieri potest, intra missam celebrentur, et regulæ diœcesis in eorum celebratione semper fideliterque serventur.

A matrimoniis mixtis, quæ a catholicis cum acatholicis contrahuntur, quæque ab Ecclesia prohibentur, fortiter dissuadeantur fideles tam publice quam privatim.

Quod si ista matrimonia mixta vitari non possint servetur in primis Instructio diei 15 9bris an. 1858, ac præsertim semper a parte acatholica exigatur promissio scripta de obice non ponendo catholicæ parti in servanda religione catholica pariterque de catholice educanda cuncta prole proventura, et hoc fiat post licentiam ab Ordinario obtentam.

Si, quod Deus avertat, neglecta ista prudenti regula, pars catholica graviter illicitum scandalosumque matrimonium coram acatholico ministello contrahere ausa fuerit, casus episcopo reservatus erit, qui pœnam aliquam justam infliget.

Si conjuges catholici ea ratione contrahentes matrimonium ut inde grave scandalum exoriatur, non absolventur nisi facta gravissimi istius scandali prævia reparatione: magistratum autem civilem adire poterunt juxta præscriptum legis.

Matrimonia mixta juxta ritum Ritualis Romani, ut in editione Baltimorensi datum, celebrentur.

Matrimonia attentata cum infidelibus non solum illicita, sed et propter impedimentum disparitatis cultus invalida sunt ; quapropter nunquam celebrentur nisi a Sancta Sede dispensatio prius obtenta fuerit.

5o. De Extrema-Unctione. A sacerdotibus longe distantibus ne nimis differatur ægrotis administratio Extremæ-Unctionis.

X.—DECRETUM DE PUERORUM EDUCATIONE.

Ita doceantur et incitentur parentes ut suo fungantur officio liberos a tenera ætate de doctrina christiana et orationibus erudiendi.

Parentes catholici invitentur ut ad stabiliendas scholas, quas solas, in quantum fieri potest, frequentare debent omnes pueri catholici, diligenti cura laborent. Commissarii scholarum ex conscientia ligantur, istique munus suum accurate adimpleant, et in locis ubi favent leges secundum istas agatur. Si necessitate compulsi alias scholas pueri adire debent, parentes et pastor vigilare debent ne damnum spirituale patiantur ob hanc necessitatem.

Valde desiderandum est ut multi juvenes collegium frequentent et cursum litterarum et philosophiæ in eo compleant.

In omnibus casibus incumbit pastoribus animarum obligatio docendi cum magno zelo et assiduitate omnes pueros qui christiana eruditione indigent : ait enim Sacrosancta Tridentina Synodus " iisdem etiam saltem Do-" minicis et aliis festivis diebus pueros in singulis paro-" chiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et pa-" rentes diligenter ab iis ad quos spectavit doceri cura-" bunt, et si opus sit etiam per censuras ecclesiasticas " compellent."

XI.—DECRETUM DE MISSIONIBUS INDORUM.

Omnes participent zelo et gloriæ Sanctæ Matris Ecclesiæ quæ sua miseratione et caritate indeficienter prædicavit Evangelium J. C. et missiones instituere conata est apud Americæ Septentrionalis Aborigenes. Non sint parochi et missionarii personarum acceptores, omnibus enim sylvicolis sicut cœteris debitores sunt.

Valde promovendæ sunt societates de propagatione fidei et sanctæ Infantiæ, sicut et opus scholarum dictarum "du Nord-Ouest."

XII.—DECRETUM DE OBSERVATIONE DIERUM DOMINICARUM.

Abstinendum est non solum ab omnibus operibus servilibus, sed etiam ab omni opere licito in se quod in scandalum vertere poterit.

Ab animi relaxationibus nimis profanis et sanctitate Diei Dominicæ nullomodo congruentibus se abstineant. Cavendum est etiam ne requies et relaxationes per se innocentes in abusum vertantur.

Sanctificetur Dies Dominica per auditionem Missæ quæ est de præcepto gravi, et alia devotionis et pietatis opera.

XIII.—DECRETUM DE JURISDICTIONE EPISCOPALI.

Clericus peregrinus nisi notissimus sit aut munitus testimonio Ordinarii sui, ad divina celebranda non admittatur: et, si in diœcesi aliquantum moraturus est, monendus est episcopus: ad prædicandum vero semper requiritur Ordinarii licentia.

Posuit Deus Episcopos regere Ecclesiam Dei et illis est cura ovibus suis invigilandi easque custodiendi; et ideo, sacerdotes reddere debent rationem ordinario de animabus sibi commissis et de cunctis rebus quæ ad earum bonum pertinent. Quod ut attingant juxta præscriptum Ritualis libros et tabulas habeant, speciatim librum animarum. Quod ad registrationes attinet, non obliviscantur legum civilium.

Episcoporum est in propria diœcesi præcipua autoritas, et nil innovetur, nullum exerceatur ministerium sine Ordinarii licentia.

Nulla insolita imago, vel novæ reliquiæ fidelium venerationi exponantur nisi approbante Episcopo.

Episcopi licentia necessaria est ad conventuum erectionem et nihil faciendum ad hunc finem sine licentia quæ postulari et dari debet de scripto.

Nova ædificia ecclesiastica erigere non licet nisi prævia approbatione Ordinarii de proposita ædificii forma et sumptibus necessariis. Dicatur etiam quibus mediis pecunia optinenda erit.

Nullomodo se debitis ligare licebit sine licentia Ordinarii scripto postulata et concessa. Monentur autem sacerdotes ne res suas rebus Ecclesiæ immiceant cum famæ suæ discrimine vel offensione fidelium, qui injuriam fieri Ecclesiæ facile existimant. Idcirco habeant librum quo res omnes Ecclæ recenseantur ; et si ipsi pecuniam in Ecclæ usum contulerint, id fiat probante Episcopo et cum virorum fide dignorum notitia, et in libris referatur, ut Episcopus visitationem habens possit singula inspicere, et jura omnium tueri.

Opportunum judicamus ut pro debitis privatis alicujus momenti sacerdotes ab Episcopo concilium postulent.

XIV.—DECRETUM DE BONIS ECCLESIASTICIS.

De his bonis curam habeant pastores et in quodam codice instrumenta omnia quæ ad hæc pertinent fideliter ac accurate scribant, in primis decretum erectionis Parochiæ. Insuper apud se possideant codicem et sigillum.

Debent ædificia sacra contra incendium prudenter secura reddere, decimas percipere secundum modum ab Ordinario stabilitum et fideles de officio sacerdotibus et cultui subveniendi edocere.

XV.—DECRETUM DE SOCIETATIBUS SECRETIS.

Nomen dantis Sectæ Massonicæ aut Carbonariæ, aut aliis ejusdem generis sectis quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates, seu palam, seu clandestine machinantur ; necnon eisdem sectis favorem qualemcumque præstantes, earumque occultos coryphæos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint, excommunicationi latæ sententiæ ipso facto incurrendæ subjacent.

Dubium non est quin Communistæ, Socialistæ, Anarchistæ, et cœteri qui sunt quocumque nomine adversus Ecclesiam aut adversus legitimum gubernium machinantur excommunicationi subjaceant etiamsi non exigant juramentum de secreto servando.

Societates quæ asseclas suos ad secretum adstringunt ita ut ne auctoritate quidem Ecclesiæ impune revelari possit, et quæ obligant socios ad cæcam obedientiam officialibus sunt prohibitæ et sub peccato gravi vitandæ.

Sodalitates operariorum quæ etsi non damnatæ, tamen sine directione pastorum animarum vagantur, sunt satis periculosæ et catholici ab hujusmodi societatibus dissuadendi sunt, dirigendique in societates illas catholicas, in quibus fideles sine periculo adscribi possunt, exempli gratia, in societatem Sancti Vincenti a Paulo, Catholicam Mutuæ Beneficentiæ Societatem (Catholic Mutual Benefit Association.)

XVI.—DECRETUM DE CHRISTIANA MORTIFICATIONE.

Hortentur fideles ut jejunium et abstinentia secundum leges et mentem Ecclesiæ serventur et non detur dispensatio nisi sufficientibus et veris rationibus existentibus.

Quum in hac nostra regione ad ebrietatem fortiter propensi sint populi, sacerdotes fidelibus suadeant ut omnno aut saltem partim a vino et liquore se abstineant et societates quæ "temperantiæ" dicuntur maxime foveantur.

Valde laudatur consuetudo cleri juxta quam a mensa quotidiana excluduntur vina et fermentati liquores.

Devitent ludos et spectacula quæ pravos mores excitant et fovent.

Conventus religiosi acatholicorum et cœtus societatum ab Ecclesia prohibitarum effugiendi sunt.

XVII.—DECRETUM SUBSCRIPTIONIS.

Nos *Alexander Antoninus Taché* Archiepiscopus Sancti Bonifacii, admonemus Rmos Patres omnes qui huic Synodo jure intersunt et interfuerunt, ut post nos singuli, loco et ordine suo, ad altare accedant, et iis quæ in hac Synodo decreta sunt subscribant.

† Ego ALEX. ANT., Archiepiscopus Sti. Bonifacii et præses concilii definiens subscripsi.

† Ego VITALIS JUSTINUS, Episcopus Sti. Alberti definiens subscripsi.

† HENRICUS J., Episcopus Anemuriensis definiens subscripsi.

† ISODORUS, Episcopus Ærindelensis definiens subscripsi.

† Ego PAULUS, Epus Marcopolensis coadjutor Melitopolensis definiens subscripsi.

Ego JOANNES BAPTISTA Celestinus Augier O. M. I. s. th. D. prov. Obl. procurator Episcopi Melitopolensis definiens subscripsi.

XVIII.—DECRETUM DE INDICATIONE FUTURI CONCILII PROVINCIALIS.

Cum Sacrosanctæ Synodi Tridentinæ decretis statutum sit, ut quolibet saltem triennio celebrentur concilia provincialia, ut Ecclesiæ menti obsequamur, Nos Alexander Antoninus Taché, Metropolita Sancti Bonifacii, de concilio et consensu Reverendissimorum Episcoporum Comprovincialium, proximum Concilium hujus Provinciæ, anno millesimo octingentesimo nonagesimo secundo, celebrandum jam denuntiamus et indicimus omnibus præsentes adesse debent.

XIX.—DECRETUM DE FINE CONCILII.

Cum placuerit omnibus Patribus hujus Concilii finem fieri, Nos, Alexander Antoninus Taché, Archiepiscopus Sancti Bonifacii, Provinciali Concilio finem facimus, et jam nunc factum esse decernimus.

PROTOCOLLO N. 6549, 90.

ROMA, li 7 Gennaio 1891.

OGETTO

Si accusa recezione degli atti del Sinodo Provinciale di S. Bonifacio.

Illme ac Rme Domine.

Tua epistola diei 25 præteriti Aprilis mihi pervenit una cum actis Synodi Provincialis. Hæc acta quamprimum judicio hujus S. Congregationis subjicientur, et suo tempore quæ statuta fuerint Ampl. Tuæ rite notificabo.

Interim vero Deum precor ut Te diutissime sospitet.

A. T.
Ad officia paratissimus.

Joannes Card. SIMEONI,
Præfectus.

R. D. P. ALEXANDRO TACHÉ,
Archiepo S. Bonifacii.

† D., Archiep. Syren. Secr.

PROTOCOLLO N. 5489.

ROMA, li 6 Guigno 1892.

Illme et Rme Donine.

Decretum recognitionis 1æ Synodi istius provinciæ una cum emendationibus ab hac Sacra Congregatione introductis in decretis ejusdem Synodi ad Amplitudinem Tuam transmitto.

De mandato autem ejusdem S. Congrnis quæ sequuntur Tibi significare me officii est. Dignetur Amplitudo Tua remittere acta ejusdem Synodi ut una cum decretis emendatis in archivio hujus S. Congrnis asserventur.

Relate ad dubium propositum in epistola diei.

25 Aprilis 1890, hæc S. Congregatio in Epistola ad Archiepum Quebecensem, diei 8 Julii 1852, jam reposuerat haud conveniens visum est, quod Episcopis Coadjutoribus votum decisivum tribueretur, attento præsertim quod in sententiarum discrepantia una pars adversus alteram irrationabiliter juvatur. Hæc igitur sententia in futuris Synodis præ oculis habeatur. Hanc S. Congregationem Amplitudo Tua certiorem reddat utrum Fidei professio a singulis Patribus Synodo præsentibus emissa fuerit ; et quatenus affirmative, relatio hujus professionis inseratur in actis Synodi transmittendis.

Insuper Emi Patres hujus S. Congrnis statuerunt ut decretis Synodi ad instar appendicis addantur adjunctæ instructiones.

Interim fausta quæque ac felicia tibi a Domino precor

Amplititudinis Tuæ,
Addictissimus Servus,

M. Card. LEDOCHOWSKI.
† IGNATIUS, Archiep. Præf.
Tamiathen. Secrius.

DNO ALEXANDRO TACHÉ,
Archiep. S. Bonifacii.

DECRETUM.

Ex quo Ecclesiastica Provincia S. Bonifacii Canadensis regionis erecta fuit anno 1871, non levia inibi fides catholica incrementa habuit; quæ in dies, Deo favente, ita succrescunt; ut jam in eadem Provincia quinque Diœceses, seu Vicariatus Apostolici adnumerentur. Ad hanc igitur fidei catholicæ propagationem fovendam ac firmandam Episcopi, seu Vicarii Apostolici ejusdem Ecclesiasticæ Provinciæ mense Julio 1889 in civitate S. Bonifacii convenerunt; et præside R. P. D. Alexandro Taché, ejusdem civitatis Archiepiscopo, inibi prima Synodus Provincialis habita fuit, et nonnulla circa ecclesiasticam disciplinam, divinum cultum, sacramenta, puerorum educationem, aliqua utilia statuta fuerunt, eaque ad hanc S. Congregationem transmissa ut ad debitum examen revocarentur. Itaque Emi Patres Sacro Concilio Xano Nomini Propaganda præpositi in generalibus Comitiis habitis diebus 10 Decembris 1891 et 9 Maii 1892, decreta ejusdem Synodi maturo examine expenderunt et nonnullis emendationibus ac modificationibus adjectis, eadem ab omnibus ad quos spectat observanda esse recognoverunt.

Hanc autem S. Congnis sententiam SSmo Do No Leoni XIII a R. P. D. Ignatio Persico Archiepiscopo Tamiathensi ejusdem S. Congnis Secretario, in audientia diei 15 Maii 1892 relatam, Sanctitas Sua benigne adprobare dignita est ac ratam habere, et super his præsens Decretum expediri mandavit.

Datum Romæ ex Ædibus S. Congnis de Propaganda Fide die 4 Junii 1892.

(L. † S.) M. Card. LEDOCHOWSKI, Præf.
† IGNATIUS, Archiep.
Tamiathen. Secrius.

In Congne Gli de Propa. Fide habita die 10 Decembris 1891, cui interfuerunt E. E. D. D. Cardinales Simeoni Præf. Zigliara, Melchero, Vannutelli, Aloisi, Masella, Mazella et Verga proposito dubio : " Se, e con quali modificazione debbansi riconoscere i decreti del primo Synodo della Provincia Eccla di S. Bonifacio nel Canada (1889) respondendum censuerunt :

Affirmative juxta modum, modus est ;

In decreto I, De Aperienda Synodo (pag. 1) loco verborum " ad pietatem fovendam et zelum animarum augendum tam in clero quam in populo " ponantur alia " *ad zelum animarum augendum in clero atque ad pietatem fovendam tam in clero quam in populo* " et in fine mutetur verbum " commodum " in aliud " *bonum.*"

In Decreto II. De modo vivendi in Concilio lin 10, 11, 12, ita emendetur textus : " *exhortentur ut confiteantur peccata sua et sese emendent, frequentius Eucharistiæ Sacramentum sumant, in timore Domini ambulent et instanter orent,*" etc et inferius lin 20 pro " hominibus " dicatur "*fidelibus.*"

In Decreto IV, De Fide, § 1 emendetur juxta votum Consultoris et dicatur : " *quæ Christi ore vel Spiritu Sancto afflante atque ab iis Ecclesiæ traditæ usque ad nos pervenerunt,*" et in §. 3. post verba " *Patrem et Doctorem* " addantur alia : "*primatum tum honoris tum jurisdictionis in universam Ecclesiam tenentem* " : in §. 4. post verbum " loquitur " inseratur " idest " : § 5o. (pag. 6) ita reformetur in sensu propositionis 16 Syllabi : " *Reprobamus errorem apud nos diffusum qui audacter asserit homines in cujusvis religionis cultu viam æternæ salutis reperire, æternamque salutem assequi posse ; una enim est vera religio, et una vera Christi Ecclesia extra quam non datur salus ;* " et loco §. 7 (pag. 6) inserantur verba Concilii Vaticani in fine 1æ Constitutionis de fide, nempe : " *Quoniam vero satis non est hæreticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur qui ad illam plus minusve accedunt, omnes officii monemus servandi etiam Constitutiones et Decreta quibus pravæ ejusmodi opiniones quæ isthic diserte non enumerantur, ab hac S. Sede proscriptæ et prohibitæ sunt.*"

In Decreto V De Independentia Summi Pontificis reformetur textus hoc modo : " *Cum Ecclesiastica potestas sit jure divino valde superior et independens a potestate civili et ejusmodi independentia in Summo præsertim Ecclæ Capite vigeat*

opus sit, hinc in præsenti rerum statu declarat hæc Synodus sacrilegam status pontificalis usurpationem non solum jure divino et humano, sed etiam Ecclesiæ et Summi Pontificis pernecessariæ libertati adversari."

In Decreto VI mutetur titulus, et loco verborum "De perfectione Cleri" dicatur "*De vita et honestate Clericorum.*"

Insuper in No. 1o loco verborum "levia etiam delicta, quæ ipsis minima viderentur" ponantur alia "*leves etiam culpas quæ ipsis minimæ viderentur;*" loco verbi "oblongiorem" ponatur "*aliam;*" post verbum "coloris" inserantur verba "*quæ tamen clericis sit conveniens*" incipiendo a verbis "alias vestes" inclusive deleantur omnia usque ad finem No. 1.

In No. 3o in voto Consultoris et dicatur: "*Fumeo tabaco cum moderamine et decentia utantur.*"

In No. 4o expungatur particula "enim."

In No. 6o reformetur textus juxta votum Consultoris hoc modo: "*Pecuniam ad pios usus per profana media vulgo dicta Bazars, pique-niques, concerts, promenades et cætera hujusmodi comparare non licet nisi prius etc.,* atque in fine dempto verbo "requiratur" ponatur aliud "*exquiratur.*"

In No. 7o § 3o reformetur textus hoc modo: "*A concionibus mere politicis in Ecclesia se abstineant, et cum hac de re publici et coram populo tractare necesse est, jura caritatis et æquitatis stricte serventur.*"

In No. 8o supprimatur verbum "ideoque" et dicatur "*Diebus autem*" et loco verbi "recedant" ponatur "*absint.*"

In Congregatione Gli de Propa Fide habita die 9 Maii 1892, cui interfuerunt Emi ac Rmi D. D. Cardinales Serafini, Parocchi, Ledochowski Præf., Zigliara, Melchers, Aloisi, Vannutelli, Niertel, Verga, Mazella et Apolloni, prosequentes examen decretorum hujus Synodi sequentes correctiones addiderunt.

In Decreto VII De Cultu Divino No. 1o lina 3 loco verborum "huic amantissimo Cordi" ponantur "etiam *Ssmo Cordi Jesu*" No. 2o verba "accurate studeantur" mutentur in alia "*studiose ediscantur;*" No. 4. lin. 8. loco verbi "nationis" ponatur verbum "*orationis*" et lin. 11a post verbum Rosarii loco particulæ "et" ponatur "*seu;*"

postrema vero paragraphus ita reformetur "*Ne nimia abundantia et diversitate peculiares devotiones fidelibus onera fiant et impedimentum veræ pietatis cavendum est ne præter Confraternitates Ssmi Cordis Mariæ, Scapularis Montis Carmeli et Rosarii jam apud nos existentes absque consensu Ordinarii novæ statuantur et inconsulto multiplicentur.*"

In Decreto VIII De Zelo Animarum n. 1. deleantur verba "*Præterea S. Paulus ait: Non misit me Christus baptizare sed evangelizare*" n. 2. lin 2 post verbum "Synodus" addantur verba "*eos q. i curam habent animarum,*" ibidem lin 4 post verbum "*orationis*" ponatur verbum "*modos*" et lin. 6. loco verbi "lædantes" ponatur verbum "lædentes," No. 5. lin 3 loco verbi "aliquoties" ponantur alia "*et ubi opus est,*" et lin. 4. post verbum "*doctrinam*" ponatur "*etiam,*" et lin 11a loco verbi "accipiantur" dicatur "*excipiantur.*"

In Decreto IX De Sacramentis, n. 1. si confronti il testo del Concilio Narb. ivi citato, e se si trovera esatto, si lasci del quale; lineæ 14 et 15 deleantur usque ad verbum "conditione" et dicatur: "*si quando iterandus videtur baptismus id non fiat absque......*" in lin 18 post verbum *dubio* addatur particula "*vero*" et post verbum "*prudenti*" deleatur verbum "*reali,*" lin 20. loco "*aut*" dicatur "*vere,*" No. 2. de confirmatione, ita omittetur: "*Quum omnes fideles debent Sacram. Confirmationis suscipere diligenter provideant Parochi et missionarii ut hi ad illud suscipiendum sint sufficienter edocti et parati:*" No. 3. De Eucharistia, lin. 10 loco "aliumve" lin. 16. incipiendo a verbo "*non*" deleantur omnia usque ad verbum "*admittantur*" in lin. 18. inclusive et dicatur "*Sacramentum hoc conferri potest pueris et puellis cum incipient aliqualem rationis usum habere et possint devotionem concipere erga hoc Sacramentum, ordinarie tamen non conferatur puellis ante 10um ætatis annum, et pueris ante 11um;*" lin. 20 ante verbum "Decorem" ponatur verbum "*Sacerdotes;*" lin. 23 post verbum "Lampas" addantur verba "*ex oleo olivarum nutrita, aut saltem ex aliis oleis quantum fieri potest vegetalibus accensa teneatur;*" ibidem deleantur verba "Caveatur ut omnium" etc., usque ad verbum "naturale" inclusive, et dicatur, "*Sum na sollicitudine curetur ut vinum de vite genuinum ad Missæ Sacrificium adhibeatur;*" No. 4. De Matrimonio lin 1a expungatur verbum "*Hortentur*" et incipiatur absolute per verbum "*Pasto-*

ris;" lin. 8 loco verborum "in publico" ponatur solum verbum "*publice;*" lineæ insequenti deleto verbo "effugi" ejus loco ponatur verbum "*vitari*"; et post verbum "*possint*" interpolentur verba "*Servetur in primis instructio diei 15 9bris an 1858, ac præsertim semper (a parte Catholica)...* pag. 12 lin. 9 post verbum "*si*" deleantur verba "*deficiente sacerdote*"; et post verba "*conjuges catholici*", deletis verbis "coram acatholico ministello, aut magistratu civili matrimonium contraxerint" dicatur "*ea ratione contrahentes matrimonium ut inde grave scandalum exoriatur*" (non absolventur etc.); et post verbum "*reparatione*" prosequatur "*Magistratum autem civilem adire poterunt juxta præscriptum legis:*" lin autem 15. deleto verbo "mixta" dicatur "*attentata*" (cum infidelibus.)

In Decreto XIII De Jurisdictione Episcopali pag. 14. lin. 9 mutentur verba "rebus agendis" in alia "*propria diœcesi:*" lin. 17. post verbum "*ædificia*" addatur verbum "*ecclesiastica:*" lin. 20 post verbum "*licentia*" addatur verbum "*Ordinarii:*" et lin. 21, post verbum "*concessa*" addantur verba Concilii Baltimor. II Plenarii tit. IV. n. 192. "*Monentur autem sacerdotes ne res suas rebus Ecclesiæ immisceant cum famæ suæ discremine vel offensione fidelium qui injuriam fieri Ecclesiæ facile existimant. Idcirco habeant librum quo res omnes Ecclesiæ recenseantur: et si ipsi pecuniam in Ecclesiæ usum contulerint, id fiat probante Episcopo, et cum virorum fide dignorum notitia, et in libris referatur, ut Episcopus visitationem habens possit singula inspicere et jura omnium tueri.*"

In Decreto XIV De Bonis Ecclesiasticis, lin. 5 loco verbi "assecurare" ponantur verba "*secura reddere.*"

In Decreto XV De Societatibus Secretis, deleantur verba quæ in primis duabus lineis extant, et ponantur eorum loco verba constitutionis apticæ Sedis nempe: "*Nomen dantis Sectæ Massonicæ aut Carbonariæ aut aliis ejusdem generis Sectis, quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates, seu palam seu clandestine machinantur; nec non eisdem sectis favorem qualemcumque præstantes, earumque occultos coryphæos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint*" et finiatur per verba "*excommunicationi latæ sententiæ ipso facto incurrendæ subjacent.*"

In Decreto XVI De Christiana mortificatione, lin. 2. post verbum "*serventur*" addantur verba "*et non detur dispensatio nisi;*" et deletis verbis "tantum dispensentur" ponatur eorum loco verbum "*existentibus.*"

INSTRUCTIO

DE SCHOLIS PUBLICIS

AD

RMOS EPISCOPOS IN FŒDERATIS STATIBUS AMERICÆ SEPTENTRIONALIS.

Pluries S. Congregatio de Propaganda Fide certior facta est in Fœderatis Statibus Americæ Septentrionalis catholicæ juventuti e scholis publicis, quas illic vocant, gravissima damna imminere. Tristis hic nuntius effecit, ut prædicta S. Congregatio amplissimis istius ditionis Episcopis nonnullas quæstiones proponendas censuerit, quæ partim ad causas, cur fideles sinant liberos suos scholas acatholicas frequentare, partim ad media quibus facilius juvenes a scholis hujusmodi arceri possint, spectabant. Porro responsiones a laudatis Episcopis exaratæ ad Supremam Congregationem Universalis Inquisitionis pro natura argumenti delatæ sunt, et negotio diligenter explorato fer IV, die 30 Junii 1875, per Instructionem sequentem absolvendum ab Emis Patribus judicatum est, quam exinde SSmus D. N. fer IV die 24 Novembris prædicti anni adprobare, ac confirmare dignatus est.

Porro in deliberationem cadere imprimis debebat ipsa juventutis instituendæ ratio scholis hujusmodi propria atque peculiaris. Ea vero S. Congregationi visa est etiam ex se periculi plena, ac perquam adversa rei catholicæ. Alumni enim talium scholarum cum propria earumdem ratio omnem excludat doctrinam religionis, neque rudimenta fidei addiscent, neque Ecclesiæ instruentur præceptis, atque adeo carebunt cognitione homini quam

maxime necessaria, sine qua christiane non vivitur. Enim vero in ejusmodi scholis juvenes educantur jam inde a prima pueritia, ac propemodum a teneris unguiculis: qua ætate, ut constat, virtutis aut vitii semina tenaciter hærent. Ætas igitur tam flexibilis si absque religione adolescat, sane ingens malum est. Porro autem in prædictis scholis utpote sejunctis ab Ecclesiæ auctoritate, indiscriminatim ex omni secta magistri adhibentur, et ceteroquin ne perniciem afferant juventuti nulla lege cautum est, ita ut liberum sit errores et vitiorum semina teneris mentibus infundere. Certa item corruptela ex hoc impendet quod in iisdem scholis aut saltem in pluribus earum utriusque sexus adolescentes et audiendis lectionibus in idem conclave congregantur, et sedere in eodem scamno masculi juxta feminas jubentur. Quæ omnia efficiunt, ut juventus misere exponatur damno circa fidem, ac mores periclitentur.

Hoc autem periculum perversionis nisi e proximo remotum fiat, tales scholæ tuta conscientia frequentari nequeunt. Id vel ipsa clamat lex naturalis et divina. Id porro claris verbis summus Pontifex edixit, Friburgensi quondam Archiepiscopo die 14 Julii 1864 ita scribens: "Certe quidem ubi in quibusque locis regionibusque perniciosissimum hujusmodi vel susciperetur vel ad exitum perduceretur consilium expellendi a scholis Ecclesiæ auctoritatem, et juventus misere exponeretur damno circa fidem, tunc Ecclesia non solum deberet intentissimo studio omnia conari, nullisque curis unquam parcere, ut eadem juventus necessariam christianam institutionem et educationem habeat, verum etiam cogeretur omnes fideles monere, eisque declarare, ejusmodi scholas Ecclesiæ catholicæ adversas haud posse in conscientia frequentari." Et hæc quidem, utpote fundata jure naturali ac divino generale quoddam enuntiant principium, vimque universalem habent, et ad eas omnes pertinent regiones, ubi perniciosissima hujusmodi juventutis instituendæ ratio infeliciter invecta fuerit.

Oportet igitur, ut Sacrorum Antistites, quacumque possint ope atque opera, commissum sibi gregem arceant ab omni contagione scholarum publicarum. Est autem ad hoc omnium consensu nil tam necessarium, quam ut catholici ubique locorum proprias sibi scholas habeant

easque publicis scholis haud inferiores. Scholis ergo catholicis sive condendis ubi defuerint sive amplificandis, et perfectius instruendis parandisque, ut institutione ac disciplina scholas publicas adæquent, omni cura prospiciendum est. Ac tam sancto quidem exequendo consilio tamque necessario, haud inutiliter adhibebuntur, si Episcopis ita visum fuerit, e Congregationibus religiosis sodales sive viri sive mulieres, sumptusque tanto operi necessarii, ut eo libentius atque abundantius suppeditentur a fidelibus, opportune oblata occasione, sive pastoralibus litteris sive concionibus sive privatis colloquiis serio necesse est ut ipsi commonefiant, sese officio suo graviter defuturos, nisi omni qua possunt cura, impensaque, scholis catholicis providerint. De quo potissimum monendi erunt quotquot inter catholicos ceteris præstant divitiis ac auctoritate apud populum: quique comitiis ferendis legibus sunt adscripti. Et vero in istis regionibus, nulla obstat lex civilis, quominus catholici ut ipsis visum fuerit propriis scholis prolem suam ad omnem scientiam ac pietatem erudiant. Est ergo in potestate positum ipsius populi catholici ut feliciter avertatur clades, quam scholarum illic publicarum institutum rei catholicæ minitatur. Religio autem ac pietas ne e scholis vestris expellantur, id omnes tandem persuadeant sibi plurimum interesse, non singulorum tantum civium ac familiarum, verum etiam ipsius florentissimæ Americanæ nationis, quæ tantam de se spem Ecclesiæ dedit.

Ceterum S. Congregatio non ignorat talia interdum rerum esse adjuncta, ut parentes catholici prolem suam scholis publicis committere in conscientia possint. Id autem non poterunt, nisi ad sic agendum sufficientem causam habeant, ac talis causa sufficiens in casu aliquo particulari utrum adsit necne, id conscientiæ ac judicio Ordinariorum relinquendum erit; et tunc ea plerumque aderit, quando vel nulla præsto est schola catholica, vel quæ suppetit parum est idonea erudiendis convenienter conditioni suæ congruenterque adolescentibus. Tunc autem ut scholæ publicæ in conscientia adiri possint, periculum perversionis cum propria ipsarum ratione plus minusve nunquam non conjunctum, opportunis remediis cautionibusque fieri debet ex proximo remotum.

Est ergo imprimis videndum, utrumne in schola de qua adeunda quæritur, perversionis periculum sit ejusmodi quod fieri remotum plane nequeat: velut quoties ibi, aut docentur quædam, aut aguntur catholicæ doctrinæ bonisve moribus contraria, quæque citra animæ detrimentum neque audiri possunt, nedum peragi. Enim vero tale periculum, ut per se patet, omnino vitandum est cum quocumque damno temporali etiam vitæ. Debet porro juventus, ut committi scholis publicis in conscientia possit, necessariam christianam institutionem et educationem, saltem extra scholæ tempus, rite ac diligenter accipere. Quare parochi ac missionarii, memores eorum quæ providentissime hac de re Concilium Baltimorense constituit, catechesibus diligenter dent operam, iisque explicandis præcipue incumbant veritatibus fidei ac morum, quæ magis ab incredulis et heterodoxis impetuntur; totque periculis expositam juventutem impensa cura, qua frequenti sacramentorum usu, qua pietate in B. Virginem studeant communire, et ad religionem firmiter tenendam etiam atque etiam excitare. Ipsi vero parentes, quive eorum loco sunt, liberis suis sollicite invigilent, ac vel ipsi per se vel, si minus idonei ipsi sint, per alios, de lectionibus auditis eos interrogent, libros iisdem traditos recognoscant, et si quid noxium ibi deprehenderint, antidota præbeant, eosque a familiaritate et consortio discipulorum, a quibus fidei vel morum periculum imminere possit, seu quorum corrupti mores fuerint, omnino arceant atque prohibeant. Hanc autem necessariam christianam institutionem et educationem liberis suis impertire quotquot parentes negligunt; aut qui frequentare eos sinunt tales scholas in quibus animarum ruina evitari non potest, aut tandem qui, licet schola catholica in eodem loco idonea adsit, apteque instructa. et parata, seu quamvis facultatem habeant in alia regione prolem catholice educandi, nihilominus committunt eam scholis publicis, sine sufficienti causa, ac sine necessariis cautionibus, quibus periculum perversionis et proximo remotum fiat: eos si contumaces fuerint absolvi non posse in sacramento pœnitentiæ ex doctrina morali catholica manifestum est.

Hæc instructio probata fuit feria IV 24 Novembris 1875.

DE SECTA MASSONUM.

INSTRUCTIO

SANCTÆ ROMANÆ ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS AD OMNES CATHOLICI ORBIS EPISCOPOS.

Ad gravissima avertenda mala, a *Massonum* secta aliisque ex ea prognatis in Ecclesiam et in omnes civium ordines illata, Sanctissimus Dominus Noster Leo XIII sapienti prorsus consilio Encyclicas Litteras *Humanum genus* ad omnes catholici orbis Episcopos nuperrime dedit. Quibus Litteris earumdem sectarum doctrinas, finem, consilia detegit, curas Romanorum Pontificum liberandæ a tam nefaria peste humanæ familiæ enarrat, easdem sectas iterum et Ipse damnationis et censuræ nota inurit, simulque docet, qua ratione, et quibus armis sit contra illas dimicandum, quibusque remediis, illatis ab iisdem vulneribus sit medendum.—At cum Sanctitati Suæ perspectum sit, tum demum ex curis suis uberes fructus sperandos esse, cum in rem tanti momenti omnium Ecclesiæ Pastorum opera, consilia, labores unanimi nisu conferantur, mandavit huic Supremæ Congregationi S. Romanæ et Universalis Inquisitionis, ut quæ agenda ipsis Pastoribus potissimum essent, apte eisdem proponeret. Quibus Summi Pontificis mandatis uti par est Eminentissimi Patres una mecum Inquisitores Generales morem gerentes, omnibus Episcopis aliisque locorum Ordinariis hanc Instructionem dandam esse censuerunt.

1o. Imprimis peroptans clementissimus Pontifex animarum saluti prospicere, vestigia sequutus Salvatoris nostri JESU CHRISTI, qui non venit vocare justos sed peccatores ad pænitentiam, paterna voce eos omnes, qui

Massonicæ aliisque damnatis sectis nomen dedere, ad detergendas animæ sordes et ad divinæ misericordiæ sinum peramanter invitat. In hunc finem eadem usus benignitate, qua ejus Decessor Leo XII, ad integrum anni spatium post rite vulgatas supra memoratas Apostolicas Litteras in unaquaque diœcesi, suspendit tum obligationem denunciandi earumdem sectarum occcultos coryphæos et duces, tum etiam reservationem censurarum, peculiarem facultatem concedendo, omnibus confessariis ab Ordinariis locorum adprobatis, ut eos qui vere resipuerint, et sectas deseruerint, ab iisdem censuris absolvere, et Ecclesiæ reconciliare valeant.—Erit igitur sacrorum Præsulum hanc Pontificis Maximi benignitatem fidelibus suæ fidei concreditis nuntiare. Facerent autem rem pastorali sua sedulitate dignam, si hoc vertente anno, quem clementiæ peculiari modo addictum vult Pontifex, sacris exercitationibus, Missionum in morem, oves suas ad æternas veritates meditandas, et spiritum rectum innovandum excitarent.

2o. Mens porro est ejusdem Sanctitatis Suæ, ut Encyclicæ Litteræ quam diligentissime evulgentur, quo facilius omnes christifideles intelligant, quam dirum inter eos venenum serpat, quantaque eos eorumque prolem pernicies maneat, nisi tempestive sibi caveant. Tum sollertissima et impensissima opera danda erit, ut remedia tam quæ a Pontifice proponuntur, quam quæ propria cujusque prudentia suaserit, adhibeantur.—Primum omnium excitare in hanc rem oportet industriam sedulitatemque parochorum ; deinde adsciscenda generatim eorum opera est, quibus a bonorum omnium largitore Deo facultas dicendi aut scribendi tributa est, vel quibus divini verbi annuntiandi vel christianæ plebis a culpis expiandæ, vel etiam juventutis instituendæ cura demandata fuerit, ut et ipsi labores suos conferant ad detegenda Massonum, aliarumque damnatarum societatum impia placita et infanda molimina, et ad reducendos in viam salutis eos, qui sive temere et incaute, sive consulto et cogitato ad eas accesserint, atque ad illos præmonendos, qui nondum in earum laqueos inciderunt.

3o. Ne quis vero errori locus fiat, cum dijudicandum erit, quænam ex his perniciosis sectis censuræ, quæ vero prohibitioni tantum obnoxiæ sint, certum imprimis est

excommunicatione latæ sententiæ multari Massonicam aliasque ejus generis sectas quæ capite 2. n. IV. Pontificiæ Constitutionis *Apostolicæ Sedis* designantur, quæque contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinantur, sive id clam sive palam fecerint, sive exegerint, sive non, a suis asseclis secreti servandi juramentum.

4o. Præter istas sunt et aliæ sectæ prohibitæ atque sub gravis culpæ reatu vitandæ, inter quas præcipue recensendæ illæ omnes, quæ a sectatoribus secretum nemini pandendum, et omnimodam obedientiam occultis ducibus præstandam jurejurando exigunt. Animadvertendum insuper est, adesse nonnullas societates, quæ licet certo statui nequeat, pertineant necne ad has, quas memoravimus, dubiæ tamen et periculi plenæ sunt, tum ob doctrinas quas profitentur, tum ob agendi rationem quam sequuntur ii, quibus ducibus ipsæ coaluerunt et reguntur. Ab his etiam Sacrorum Antistites, quibus germana Christi fides et morum integritas maximæ curæ esse debet, noverint oves suas deterrendas et arcendas esse, et eo quidem diligentius, quod ob servatam ab iisdem quandam honestatis speciem corruptelæ periculum, quod in ipsis latet, difficilius a simplicibus præsertim hominibus et adolescentibus persentiri et præcaveri poterit.

5o. Rem proinde facient sacri Pastores suis ovibus apprime utilem et Sanctitati Suæ perjucundam, si præter commune et usitatum concionandi genus, quod omnino retinendum est, illud adjungent, quod defendendis catholicis veritatibus adhiberi solet, et aptissimum est profligandis erroribus, quos latius et maximo cum animarum detrimento hodie disseminari Apostolicæ Litteræ *Humanum genus* deplorant. Quod quidem concionandi genus tum erit christianæ plebi saluberrimum, cum refutatis erroribus, christianæ doctrinæ vim præstantiam et utilitatem dilucide et ordine explanabit, et amorem erga catholicam Ecclesiam, quæ eandem doctrinam integram incorruptamque servat, in animis auditorum excitabit.

6o. Cum vero vaferrimis sectarum artibus fraudibusque adolescentes, pauperes artifices et operarii facilius allici et capi soleant, ad hos etiam peculiares curæ sunt convertendæ. Atque ad juventutem quod attinet, adniten-

dum summopere est, ut a teneris annis tam intra domesticos parietes, quam in templis et in scholis ad christianam fidem, christianosque mores accurate informetur, et mature doceatur, qua ratione sibi ab incidiis tenebricosarum sectarum cavere debeat, ne si in earum laqueos inciderit, sit ipsi imposterum tam iniquis dominis maximo cum æternæ salutis, et humanæ dignitatis detrimento turpissime serviendum. Juvenum incolumitati perbene consultum erit, si ex iis conflatæ fuerint societates, quæ a Beatissima Virgine aliove cœlesti Patrono nomem sumpserint. In his cœtibus veluti in palæstris, si præsertim iis præficiantur Sacerdotes laicique homines sapientia et dexteritate præstantes, adolescentes animum sument virtutibus colendis, et religioni aperto ore, contemptis impiorum irrisionibus, profitendæ, simulque assuescent horrere quidquid a catholica veritate et sanctitate alienum sit.

7o. Perutile etiam est, hinc patres, illinc matres familias fraterno fœdere conjungere eum in finem, ut viribus unitis æternæ propriæ sobolis saluti rectæque institutioni aptius studere, et efficacius consulere possint. Plures hujus generis consociationes huc illuc inductæ sunt, sive de viris, sive de feminis agatur, quæ Cælitis alicujus tutelæ sese commiserunt, et lætissimos religionis ac pietatis fructus edunt.

8o. De *artificibus* autem et *operariis*, inter quos potissimum delectus haberi solet ab iis, quibus vel ipsa religionis et societatis fundamenta convellere propositum est, ponant sibi ante oculos Sacrorum Antistites prisca illa collegia fabrum, vel artificum universitates aut sodalitates, quæ adscito sibi cœlesti Patrono anteactis temporibus præclaro fuerunt civitatibus ornamento, et artibus sive politioribus sive humilioribus incremento. Hos aliosque cœtus ex iis etiam hominibus qui mercaturæ negotiis vel humanioribus disciplinis sese dediderunt, iterum excitabunt, in quos qui coiverint religionis officia sedulo edocebuntur et obibunt, et una simul in humanis necessitatibus, quas ferre aut corporis ægritudo aut senium aut paupertas solet, mutuo sibi sint auxilio. Qui his cœtibus præsunt, sedulo advigilabunt, ut socii morum probitate, operum affabre effingendorum peritia, laborum ferendorum docilitate et assiduitate maxime commendentur, quo

facilius, quæ ad vitam sunt necessaria, sibi parare quæant. Nec detrectabunt iidem Antistites hujusmodi societatibus advigilare, leges proponere aut adprobare, gratiam divitum conciliare, patrocinio suo eas prosequi, ope juvare.

9o. Neque peculiarem eorum curam fugiet mirabilis illa *precum et operum societas*, quæ nonnullis in locis nata, in aliis jam adolescere cœpit. Curandum summo studio est, ut in hanc adscribantur quotquot recte de religione sentiunt. Nam cum ei propositum sit, generali quadam animorum consensione in universa qua late patet catholica Ecclesia, religionis ac pietatis opera fovere et amplificare, divinæque indignationi placandæ assidue studere, facile intelligitur quantæ ea miseris hisce temporibus futura sit utilitati Ex precandi autem formulis eam Episcopi commendabunt maxime, quæ a Deiparæ *Rosario* nomen habet, quamque tamquam præstantissimam amplissimis laudibus haud ita pridem Sanctissimus Dominus Noster prosequutus est et impensissime inculcavit. Inter opera vero pietatis ea eligant, quæ obiri ab iis solent qui *tertium* S. Francisci *Ordinem* profitentur, inter quos sicut et inter sodales S. Vicentii a Paulo vel Marianos quo plures fieri poterit conscribendos curabunt, ut præclarissima opera quæ tanto cum catholici orbis plausu et animarum fructu ab iisdem peraguntur, latius in dies manent.

10o. Optimum denique factu esset, si ubi id locorum et personarum adjuncta siverint, catholicæ scientiarum Academiæ excitarentur, illique perutiles conventus seu *Congressus*, uti vocant, haberentur, ad quos unius vel plurium regionum lectissimi homines deputarentur, eosque præsentia sua Sacrorum Antistites honestare non dedignarentur, ut simul concilia rei catholicæ provehendæ sub eorum auspiciis iniri et quæ tum huic tum publicæ utilitati magis conferunt, statui possent.—Neque abs re esset si, qui sibi provinciam depoposcerunt assiduis scriptis et lucubrationibus defendendi Dei et Ecclesiæ jura, et recidendi novos qui in dies subolescunt errores et cavillationes, sociato agmine, Episcopis ducibus, dimicarent. Fieri enim non potest, quin, si vires omnes, quæ vividæ adhuc, Deo opitulante, in Ecclesia vigent valentque, in idem consenserint, uberrimi referantur fructus ad hodiernam hominum societatem ab exitiali iniquarum sectarum

contagione vindicandam, et in Christi libertatem asserendam.

11o. Quæ hactenus proposita sunt, haud ita facile optatum finem assequentur, nisi vires uniantur, ac proinde nisi Archiepiscopi cum suis Suffraganeis una consuluerint et statuerint quid facto opus sit, ut supremi Pastoris desideriis obsecundetur. Cujus, sicut et Supremæ hujusce Congregationis in votis est, ut eorum singuli quantocius renuntient, et imposterum quoties statum describent diœceseon, referre ne prætermittant, quid quisque vel singillatim vel una cum suis in Episcopatu collegis egerint, et quem exitum eorum studia sortita fuerint.

Datum Romæ ex Cancellaria S. Officii die 10 Maii 1884.

RAPHAEL, Card. Monaco.

INSTRUCTIO

AD OMNES ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS DE DISPENSATIONIBUS SUPER IMPEDIMENTO MIXTÆ RELIGIONIS QUOAD PROMISCUA CONJUGIA.

Etsi Sanctissimus Dominus Noster Pius IX Pontifex Maximus gravissimis causis impulsus aliquod immutandum esse censuerit in formula dispensationum, quæ ab hac Apostolica Sede conceduntur ad mixta ineunda matrimonia, veluti Amplitudo Tua ex adjecta formula intelliget, tamen idem Summus Pontifex de unniversi Domici gregis salute, sibi divinitus commissa, vel maxime sollicitus pro Apostolici Ministerii Sui munere non potest non summopere inculcare omnibus Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, ut Sanctissima Catholicæ Ecclesiæ de hisce Conjugiis nocumenta integra, et inviolata religiosissime serventur. Omnes enim norunt, quid ipsa Catholica Ecclesia de ejusmodi Catholicos inter, et Acatholicos nuptiis constanter senserit, cum illas semper improbaverit, ac tanquam illicitas, planeque pernitiosas habuerit, tum ob flagitiosam in Divinis communionem, tum ob impendens catholico conjugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi Canones ipsa mixta connubia severe interdicentes, ac recentiores Summorum Pontificum Sanctiones, de quibus immortalis memoriæ Benedictus XIV loquitur in suis Encyclicis Litteris ad Poloniæ Regni Episcopos, atque in celeberrino opere, quod de Synodo Diœcesana inscribitur. Hinc porro evenit, ut hæc Apostolica Sedes, ad quam unice spectat potestas dispensandi super hujusmodi mixtæ Religionis impedimento, si de Canonum severitate aliquid remittens, mixta hæc conjugia quandoque permiserit, id gravibus dumtaxat de causis ægre admodum fecit, et nonnisi sub expressa semper conditione de præmittendis necessariis, opportunisque

cautionibus, ut scilicet non solum catholicus conjux ab acatholico perverti non posset, quinimo catholicus ipse conjux teneri se sciret ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam, ut universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis procreanda in Sanctitate Catholicæ Religionis educari omnino deberet. Quæ quidam cautiones remitti, seu dispensari numquam possunt, cum in ipsa naturali, ac divina lege fundentur, quam Ecclesia, et hæc Sancta Sedes sartam tectamque tueri omni studio contendit, et contra quam sine ullo dubio gravissime peccant, qui promiscuis hisce nuptiis temere contrahendis se, ac prolem exinde suscipiendam perversionis periculo committunt. Insuper in tribuendis hujusmodi dispensationibus præter enunciatas cautiones quæ præmitti semper debent, et super quibus dispensari ullo modo unquam potest, adjectæ quoque fuere conditiones, ut hæc mixta conjugia extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, ulloque alio ecclesiastico ritu celebrari debeant. Quæ quidem conditiones eo potissimum spectant, ut in Catholicorum animis nunquam obliteretur memoria tum Canonum, qui istiusmodi mixta Matrimonia detestantur, tum constantissimi illius studii, quo Sancta Mater Ecclesia nunquam destitit filios suos avertere, ac deterrere ab iisdem mixtis conjugiis in eorum, et futuræ prolis perniciem contrahendis.

Jamvero quod attinet ad prædictas conditiones de his nempe mixtis nuptiis extra Ecclesiam, et sine Parochi benedictione, alioque sacro ritu celebrandis, cum conditiones ipsæ in plurimis si[illegible]m dispensationum Rescriptis clare, aperteque fr[illegible]enuntiatæ, in aliis vero permultis Rescriptis h[illegible]xplicite expressæ, quamvis iisdem Rescriptis imp[illegible]e continerentur, idcirco Sanctissimus Dominus Noster pro summa, ac singulari sua prudentia hanc formularum varietatem de medio tollendam existimavit, ac jussit in posterum, unam eamdemque formulam esse adhibendam ab omnibus Congregationibus, per quas hæc Apostolica Sedes dispensationes super hoc mixtæ religionis impedimento concedere solet. Itaque, rebus omnibus, maturo examine perpensis, temporumque ratione habita, et iis consideratis, quæ a pluribus Episcopis exposita fuere, atque in concilium adhibitis nonnullis S. R. E. Cardinalibus, idem Sanctissimus Dominus Nos-

ter constituit, in harum dispensationum concessione utendam esse formulam illius Rescripti, quo etiamsi conditiones prædictæ de mixtis hisce conjugiis extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, alioque Ecclesiastico ritu celebrandis haud aperte declarantur, tamen implicite continentur. Ac Sanctitas Sua omnes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Locorum Ordinarios vehementer in Domino monet, hortatur, et excitat, eisque mandat, ut cum Ipsi in posterum hujus Rescripti formula ab hac Sancta Sede obtinuerint facultatem dispensandi super impedimento mixtæ religionis, in eadem facultate exequenda nunquam desistant omni cura, studioque advigilare, ut sedulo quoque impleantur conditiones de mixtis hisce Matrimoniis extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis. Quod si in aliquibus Locis Sacrorum Antistites cognoverint, easdem conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna, ac mala, in hoc casu tantum Sanctitas Sua ad hujusmodi majora damna, ac mala vitanda, prudenti eorumdem Sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi, salvis firmisque semper, ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a Conjuge Catholico, de conversione Acatholici Conjugis ab ipso Conjuge Catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in Sanctitate Catholicæ Religionis omnino educanda, judicent quando commemoratæ conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce conjugiis ineundis tolerari queat nos adhibendi ritum pro Matrimoniis contrahendis in Diœcesano Rituali legitime præscriptum, exclusa tamen semper Missæ celebratione, ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum, ac personarum adjunctis, atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate, et gravitate. Summopere autem exoptat Sanctitas Sua ut iidem Sacrorum Antistites hujusmodi indulgentiam, seu potius tolerantiam eorum arbitrio, et conscientiæ omnino commissam, majori, quo fieri potest, silentio, ac secreto servent. Cum vero contingere possit, ut iidem Antistites nondum fuerint exequuti illa similium dispensationum Rescripta, quæ ipsis ante hanc Instructionem con-

cessa fuere, idcirco ad omnes dubitationes amovendas Sanctitas Sua declarandum esse jussit, eosdem Antistites hanc Instructionem sequi debere in commemoratis exequendis Rescriptis.

Nihil vero dubitat Sanctissimus Dominus Noster, quin omnes Sacrorum Antistites ob spectatam eorum religionem, pietatem, et pastoralis muneris officium pergant flagrantiori usque zelo Catholicos sibi concreditos a mixtis hisce conjugiis avertere, eosque accurate edocere Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, legesque ab eadem conjugia pertinentes, atque eidem S netissimo Domino Nostro persuasissimum est, ipsos Sacrorum Antistites præ oculis semper habituros Litteras et Instructiones quæ a suis felicis recordationis Prædecessoribus. ac præsertim a Pio VI (1), Pio VII, (2) Pio VIII (3) et Gregorio XVI (4) de hoc gravissimo sane argumento, maximique momenti negotio ad plures Catholici Orbis Episcopos scriptæ fuerunt.

Hæc Amplitudini Tuæ erant significanda jussu ipsius Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ IX, cui nihil potius, nihil antiquius est, quam ut Catholicæ Ecclesiæ doctrina, ac disciplina ubique illibata custodiatur, ac servetur.

Datum Romæ die 15 Novembris 1858.

J., Card. Antonelli.

(1.) *Epist. ad Archiep. Melchliniensem, Episcoposque Belgii:—Exequendo nunc—die* 13 *Julii* 1782.

(2.) *Epist. ad Archiep. Moguntinum—Etsi Fraternitatis Tuæ—die* 8 *Oct.* 1803.

(3.) *Epist. ad Archiep. Coloniensem, et Episcopos Treviren., Monasterien. et Paderbonen.:—Litteris altero abhinc anno die* 25 *Martii* 1830. *Instructio ad eosdem Archiep. et Episc. die* 27 *Martii* 1830.

(4.) *Epist. ad Archiepiscopos et Episcopos Bavariæ:—Summo jugiter studio—die* 27 *Maii* 1832. *Instructio ad eosdem die* 12 *Septembris* 1834.

Epistola ad Archiep. et Epis. Hungariæ:—Quas vero—die 30 *Aprilis* 1841. *Instructio die* 30 *Aprilis* 1841. *Instructio ad Archiep. et Episc. Austriacæ Ditionis in fœderatis Germaniæ partibus die* 22 *Maii* 1841.

Adm. Rev. P.

Post editam instructionem ad omnes Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios de dispensationibus super impedimento mixtæ religionis quoad promiscua conjugia, cui sub die 15 Nov. 1858 subscripsit Emus ac Rmus D. Cardinalis Antonelli, eæ ad Sacram hanc Congregationem pervenerunt notitiæ non solum circa auctam nonnullis in locis facilitatem mixta conjugia absque justa et gravi causa contrahendi, verum etiam circa dispensationes quæ pro connubiis illis delegata potestate conceduntur, ut plane perspicuum sit laudatam instructionem non ubique locorum recte interpretari, sed potius ad erroneum sensum ejusdem litteræ ac spiritui contrarium alicubi detorqueri. Illa enim instructio expresse commemorat quid Catholica Ecclesia de ejusmodi catholicos inter atque acatholicos nuptiis constanter senserit, cum explicite tradat Ecclesiam *eas semper improbasse ac tanquam illicitas ac perniciosas habuisse, tum ob flagitiosam in Divinis communionem, tum ob impendens catholico conjugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem ;* dein vero in Ordinariorum memoriam revocat *antiquissimos Canones*, nec non *recentiores Summorum Pontificum Sanctiones* quibus *etsi aliquid de severitate canonum remissum sit adeo ut mixta conjugia quandoque permittantur*, id tamen *gravibus dumtaxat de causis atque ægre admodum fit, ac nonnisi sub expressa conditione de præmittendis necessariis opportunisque cautionibus in naturali ac divino jure fundatis*, ut scilicet *non solum catholicus conjux ab acatholico perverti non possit, quin imo catholicus ipse conjux teneri se sciat ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam ut universa utriusque sexus proles ex mixtis matrimoniis procreanda in Sanctitate Catholicæ religionis educari omnino debeat.*

Quæ cum ita sint, mirari omnino debuit Sacra hæc Congregatio quod nonnullis videri potuerit prædicta instructione principiis quæ semper Sancta Sedes circa mixta connubia tenuit ac docuit aliquo modo derogari. Ac ne forte ex perperam intellecta instructione illa, quæ tamen luculentissima est, commissus tibi populus quidquam detrimenti capiat, sollicitudinem tuam enixe adhortor in Domino, ut clero ac fidelibus tuæ subditis jurisdictioni, data occasione, veram Ecclesiam doctrinam ac

praxim circa matrimonia mixta tradere atque inculcare studeas. Porro, quemadmodum probe cognoscis, ad matrimonium mixtum permittendum minime sufficit ut sponsi cautiones, de quibus supra, admittere parati sint, nec non cæteras clausulas in rescriptis apostolicæ Sedis adhiberi solitas, sed omnino *justæ gravesque* requiruntur causæ, ut facultas dispensandi super mixtæ communionis impedimento licite executioni mandetur. Cautiones enim illæ ideo naturali divinoque jure exiguntur atque exigi debent, ut pericula intrinseca quæ mixtis insunt matrimoniis removeantur; at vero ut gravibus fidei ac morum periculis etiam sub opportunis cautionibus fideles se exponere permittantur, grave aliquod incommodum ceteroquin haud devitandum immineat necesse est. Quod si aliquando in memorata instructione mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in Diœcesano Rituali legitime præscriptum, exclusa tamen semper missæ celebratione, in mixtis conjugiis contrahendis tolerari posse perhibetur, id tamen non nisi per modum exceptionis indulgetur, ac sub conditione *ut omnia rerum locorum ac personarum adjuncta diligentissime perpendantur, atque onerata Episcoporum conscientia super omnium circumstantiarum varietate ac gravitate.* Tantum abest ut inibi principiis, quæ Sedes Apostolica circa mixta connubia quovis tempore professa est, vel minimum detrahatur!

Quamobrem enixe peto a caritate tua, ut quantum cum Domino poteris fideles tibi commissos a mixtis matrimoniis contrahendis arcere satagas atque contendas, quo gravissima, quæ in iis continentur, pericula præcaveantur ac devitentur. Id autem facilius assequeris si eos opportune instruendos curaveris circa peculiarem qua tenentur obligationem Ecclesiæ vocem hac in re audiendi, nec non obsequendi præpositis suis qui strictissimam æterno Pastorum Principi rationem essent reddituri, si matrimonia mixta non tantum ob gravissimas causas aliquando permitterent, verum etiam facile atque ad petentium libitum a fidelibus contrahi cum acatholicis tolerarent.

Præcor Deum ut Tibi fausta quæque largiatur.

Datum Romæ ex Aed. S. C. de Prop. Fide die 25 Martii 1868.

ACTA

PRIMI CONCILII SANCTI BONIFACII.

Les Actes du premier Concile de St. Boniface sont consignés ici en abrégé dans six paragraphes différents qui ont pour titre :

I.—Lettres écrites avant le Concile.

II.—Télégrammes échangés.

III.—Congrégations privées des Evêques.

IV.—Députations.

V.—Congrégations Générales.

VI.—Sessions et Offices Publiques.

I

LETTRES ECRITES AVANT LE CONCILE

Quatre lettres ont été écrites avant le Concile pour le convoquer et en annoncer la tenue.

1o. Lettre du Métropolitain convoquant le Concile.

Alexander Taché, Dei et Sedis Apostolicæ gratia Sancti Bonifacii Archiepiscopus.—Assistens Solio Pontificali.

Reverendissimis Fratibus Nostris Episcopis, Vicariis Apostolicis, (necnon Reverendis Religiosorum ordinum aut Congregationum Præspositis) ceterisque omnibus qui de jure vel consuetudine Conciliis Provincialibus adesse debent.

Salutem in Domino.

Cum Sanctæ Sedi Apostolicæ visum sit, bulla die vigesima secunda mensis Septembris, anno millesimo octingentesimo septuagesimo primo data, in Provinciam Ecclesiasticam erigere et constituere Sancti Bonifacii et Sancti Alberti diœceses, necnon Athabaska-McKenzie et Britannicæ Columbiæ Vicariatus Apostolicos, sub denominatione Provinciæ Sancti Bonifacii, cujus Metropolis exstat Sancti Bonifacii Ecclesia.

Cumque, ut constituit Sancti Concilii Tridentini præscriptio, Provinciæ Ecclesiasticæ Metropolitani muneris sit suffraganeos in Synodum vel Concilium Provinciale ex intervallo convocare, ut cum ipso, sub Sancti Spiritus præsidio, de omnibus his quæ spectant ad reprimandos abusus, ad reformandos mores, ad augendum Religionis honorem suis in diœcesibus secundum Canones sapientissime statuant ; cumque ad ecclesiasticæ disciplinæ

unitatem confirmandam, ad diligenter excutiendas jure communi Ecclesiæ aberrationes circumstantiis morum, locorum et personarum ex necessitate impositis, et ad fovenda christianæ vitæ opera, hisce temporibus tam late diffusa et mirifice multiplicata, in his nostris Occidentalibus et Septentrionalibus vastissimis regionibus ubi errant in deserta sylvarum solitudine, tam diversæ Indorum nationes ad Christi fidem conversæ, ubi in fertilibus agrorum tractibus affluunt in dies ex omni lingua et natione colonorum turmæ, ullus non dubitet quot bona provenerint, si Ecclesiæ Antistites consilia, prudentiam et doctrinam suam in commune conferre possint :

Cumque recens, igne et vapore, difficultates viarum, quibus sedes nostræ usque adhuc obice admodum insuperabili dividebantur, multo sint imminutæ :

Quamquam, habita ratione circumstantiarum, non situm est in potestate nostra, ut Synodo omnem desideratam canonum regularitatem, rituumque ac sacrarum ceremoniarum dignitatem adhibeamus :

Attamen Nos officio Nostro, quantum in nobis est, satisfacere cupientes, re mature perpensa, expetita prius Reverendissimorum Fratrum Nostrorum Episcoporum sententia, invocato nomine Sanctissimæ et Individuæ Trinitatis, ac implorato auxilio Immaculatæ ac Beatissimæ Virginis Mariæ Deiparæ, ad majorem Dei gloriam et Fidei Catholicæ utilitatem primam Provincialem Synodem indicere et convocare decrevimus ; quam revera in Ecclesia Nostra Metropolitana Sancti Bonifacii incohandam die decimo sexto Julii currentis anni millesimi octingentesimi octogesimi noni, ac postea usque in finem prosequendam, his præsentibus litteris indicimus atque convocamus.

Quapropter Reverendissimos in Christo Fratres, Sancti Alberti Episcopum (Vitalem Grandin) Anemuriensem Episcopum (Henricum J. Faraud) qui munus agit Athabaska-McKenzie Vicarii Apostolici, Aerindelensem Episcopum (Isidorum Clut) supra dicto Athabaska-McKenzie Vicario Apostolico Auxiliarem, Melitopolensem Episcopum (Ludovicum J. d'Herbomez) munus Britannicæ Colombiæ Vicari Apostolici Agentem et Marcopolensem Episcopum (Paulum Durieu) supradicto Britannicæ Columbiæ Vicario Apostolico Auxiliarem, necnon et alios quoscum-

